

que metunt, calcant, transeunt. Vnde rursum mittuntur Romam legati flebili voce auxilium implorantes, ne penitus misera patria deleretur, ne nomen Romanæ provinciæ, quod apud eos tam diu claruerat, exterarum gentium improbitate obrutum vilesceret. Rursum mittitur legio, quæ inopinato tempore autumni adveniens magnas hostium strages dedit, eosque qui evadere poterant omnes trans maria fugavit, qui prius anniverarias pradas trans maria, milite nullo obstante, cogere solebant. Iam ad vallum Severi se retulerunt Romani & per

Circa annum Christi 420. Theodosii Breviarium vocat Alciatus. Milites per Vallum depositi. Murus è falso Prætentura sexta. * The wæstes. Castle-steedes. Chesters. Areani

Lineam valli (ut habet liber notitiarum qui sub finem principatus Theodosii Iunioris scriptus,) id est, per Valli longitudinem utrinque & interiorius & exteriorius suis stationibus excubarunt Alæ equitum cum suis Præfectis, Cohortes cum suis Tribunis 15, Numerus 1, Cuneus itidem 1. Quæ suis locis diximus, & dicemus. His verbis, de subseciente tempore, pergit deinceps Beda, Tum Romani denuntiavere Britonibus non se ultra ob eorum defensionem tam laboriosis expeditionibus posse fatigari, ipsos potius monent arma corripere, & certandi cum hostibus studium subire, qui non ob aliam causam, quam si ipsi inertia solverentur, eis possem eſe fortiores. Quintam Romani, qui & hoc sœciis quos relinquere cogebantur, aliiquid commodi allaturum putabant, murum à mari ad mare recto tramite inter urbes quæ ibidem ob metum hostium facta fuerant (ubi & Severus quondam Vallum fecerat) firmo de lapide locarunt. Apponam hic & Gildæ verba à quo Beda hæc haufit: Murum non ut alterum sumptu publico privatoque Romani adjunctis secum miserabilibus indigenis solito structura more a mari usque ad mare inter urbes quæ ibidem forte ob metum hostium collocatae fuerant directo libravit. Nunc iterum audi Bedam, Quem videlicet murum hactenus famosum, atque conspicuum sumptu publico privatoque, adjuncta secum Britannorum manu, construebant octo pedes latum, & duodecim altum recta ab Oriente in Occasum linea, ut hodie intuentibus clarum est. Ex quibus Beda verbis videoas optimum illum suos sibi oculos confixisse, dum se cornicibus oculos configere putat, & valde vehementerque contra Boetium & cæteros Scotos asserit, Severi vallum in Scotia fuisse. Nonne Beda postquam de vallo ad Abercuring in Scotia egerit, Murum è firmo lapiде, ubi Severus vallum fecerat, excitatum explicate scribit, & ubi quæso Murus ille è saxo nisi hoc loco inter Tina ostium, & Ituna æstuarium? Vbi igitur & Severi Vallum? Muri vero etiamnum hic adeo expressa habent vestigia, ut ipsius tractum sequaris, & in *Vastis, quæ vocant, magna ejus fragmenta in longa spatia porrecta, & tantum pinnis nudata hinc inde ipsi meis oculis sum contemplatus.

Vidi enim tractum ejus per montium ardua, & prona mirabiliter ascendere & descendere, qua patentiores sunt campi, fossam latam & altam exteriorius præjacere, quæ nunc multis locis coæquatur, interiorius aggerem, sive viam militarem, sed valde interruptam. Turres sive Castella habuit crebriora millenis passibus disparata, quæ Castle-steedes vocant, & interiorius oppidula munita quæ Chesters hodie vocant, quorum radices quadrata forma alicubi visuntur, & his turres interpositas, in quibus dispositus miles barbaris imminaret, & stationes Areani haberent, quos

Britannia.

Theodosius ille, de quo modo dixi, malæ fidei convictos stationibus suis removit, Genus id hominum erat à veteribus institutum, quorum (ut inquit Marcellinus) officium erat, ut ultro citroque per longa spacia discurrentes vicinarum gentium strepitus nostris Ducibus intimarent. Adeo ut conditores ejus consilium sequuntur videantur, qui de Rebus bellicis ad Theodosium & ejus filios scripsit. Sic enim ille, Est inter commoda reipublica utilis limitum cura, ambientum ubique latus imperii, quorum tutela assida melius castella proficiunt. Ita ut millenis interjecta passibus stabili muro & firmisimis turribus erigantur, quas quidem munitiones possessorem distributa sollicitudo sine publico sumptu constituat, vigilis in his & agrariis exercendis, ut provincialium quies circundata quodam praesidi cingulo in lesa requiescat. Tubulum etiam æreum eo artificio muro insertum inter singula castella, & turres intercurrisse ferunt accolæ (cujus fragmenta subinde repererunt) ut si quis vocem in eum, quacunque turri immisisset, statim sonus in proximam, inde ad tertiam, & omnes deinceps non interruptus perferretur, ad significandum ubi loci hostium insultus timeretur. Cujusmodi miraculum de Byzantii turribus in Severi historia è Dione refert Xiphilinus. Sed cum Murus nunc jaceat, & tubulus sit nullus, multi hic circumquaque prædia & fundos in Cornago (ut juridici nostri loquuntur) à regibus nostris tenent, vide licet ut cornu irruptiones hostium vicinis significant, quod à veteri Romanorum instituto deductum nonnulli existimant. Quique tenebantur ire ad preceptum Regis in exercitu Scoria (ex Charis publicis loquar) in eundo in Antegardum, in redendo in Retegardum.

Sed ut signatus Muri ductum sequar, ad BALTVM BVLGIVM sive Bulness ad Oceanum Hibernicum incipit, & secundum Itunæ æstuarium per Burg upon sands, ad LVGVALLVM sive Carlil pergit, ubi Itunam sive Eden transit. Inde pro currit, Irthingumque flumen subiectum habet, Cambecke rivulum meandris se curvantem transmittens, ubi castelli magna indicia. Irthingo & Poltroffæ fl. postea trajectis, Northumbriam intrat, & inter montium conglomerationes secundum flumen quod Tinam Australem vocant, continuus (solummodo Tina Boreali interfluente divisus, ubi olim ponte conjunctus erat) ad ipsum usque Oceanum Germanicum progrederitur, ut suo loco cum in Northumbriam pervenero, ostendam.

Admiranda tamen hæc substructio hostilem tempestatem neutiquam avertere potuit. Sed ubi Romani è Britannia solvissent, Picti & Scotti inopinato impetu murum adorti, præsidarios uncinatis telis distrahunt, munitionem perfringunt, Britanniamque intestinis tum seditionibus convulsam, fameque confectam gravissima longe lateque persulant. Verum deplorandam horum difficiliorum temporum miseriam depingit tibi qui non multo post vixit Gildas Britannus, Romanis ad sua remeantibus, emergunt certatim de curucis quibus sunt trans * Stiticam vallem erecti, quasi in alto Titane, incalescenteque caumate de arctissimis foraminum caverniculis fusi vermicularum cunei, tetri Scotorum Pictorumque greges, moribus ex parte disiden tes,

explora-
tores.
Lib. 28.

Tubulus
ad voces
defer-
das.

Cornago.

Muri
tractus.

Scotti
sylvestres
naviculas
fiuas hodie
Caroches
dicunt.

* Scyticam vallem legit
Parisienis
editio,
inuit for-
tasse mare
Scoticum.

Qqqqqq 2 tes,